



Zdigitalizowano w ramach projektu „OCHRONA I KONSERWACJA CIESZYŃSKIEGO DZIEDZICTWA PIŚMIENNICZEGO”



2007-2010

Wsparcie udzielone przez
Islandię, Liechtenstein oraz Norwegię
poprzez dofinansowanie
ze środków Mechanizmu Finansowego
Europejskiego Obszaru Gospodarczego



Zrealizowano
ze środków
Ministra Kultury
i Dziedzictwa
Narodowego

Joan: Frant: Budder
Theologi Jenensis
Epistola
de

DD. E. 39. 2. 3.

Nonnullis ad quorundam Ecclesie Evan-
gelice in S. Ministrorum Innocentiam vin-
dicandam spectantibus Anno 1723.

B. B.

Non sine dolore intellexi viris quibus-
dam doctis in S. S. S. et M. molestiam
haud levem creari, non aliam ob causam, quam
quod suo recte fungantur munere, pieta-
tisq; et sanctitatis studium, quod scriptu-
ra sacra tantopere nobis commendavit, una
cum ipsa superiore doctrina serio urgeant.
Certè quæ ijs objecta sunt, et cum crimina quæ-
dam exprobrata, nihil ferè aliud arguunt.
Hinc et ita ad omnia eos responsuros non du-
bito, ut ipsi iudices, etiam illi, qui nostræ Eccl-
siae sacris addicti non sunt, illorum agnitori
sint innocentiam. Cum verò nonnulli testimo-
nium ferre jussi de illis, ad meam de controver-
sijs, ut vocantur, pietisticis narrationem pro-
vocaverint, mearum duxi esse partium, ea, quæ
hac de re dixi paulò luculentius explicare, ne
quid, quod à mente mea alienum, virisq; innocen-
tissimis noxium sit, inde colligatur. Pro-
diit e quidem anno 1720. lingua germanica nar-

ratio quaedam historica de Pietistis, me tamen
nescio, et invito, ex recitationibus meis in histori-
am ecclesiasticam excerpta. Sed cum in ea nihil
eorum esset, ad quae testes illi, contra viros istos
doctos, anteaq; laudatos producti provocant du-
bium non est, quin ad ea respiciant, quae ex ore do-
centis, aut imprimet, aut alij exceperunt. Haec
autem non semper ita comparata esse, ut si dem si-
ne omni exceptione mereantur, nemo non intelligit,
cum nihil frequentius sit, quam ut auditores men-
tem docentis non recte percipiant, et litteris inter-
dum conrigant, de quibus nunquam ille cogitavit.
At hoc illis, qui ad meas provocaverunt recita-
tiones, nunc non imputabo. Dispicendum po-
tius, an quae ex ijs proferunt, illorum instituto in-
serviant. Characteres Pietistarum, quos vo-
cant, ex edicto quodam Tribunalis sacri, quod Au-
novera est nomine olim publicato adferunt. Dogma-
ta vero in eo comprehensa non unius sunt generis,
adeoque non uno, eodemq; omnia habenda loco. Qua-
dam in respectata falsa evident sunt, et commu-
ni consensu ab ecclesia nostra damnantur, ac re-
jiciuntur, sed perperam viris innocentissimis, qui
sine ratione Pietistae vocantur, tribuuntur. Qua-
dam rursus veritati prorsus sunt consona, ut
adeo pro characteribus eorum, qui prava dogmata
disseminant, haberi nequeant. Vera nimirum
falsis sunt intermixta, cunctaq; ita posita, ut
discretionem quadam, et accuratam circumspeditione
opus sit, ne viri innocentes, qui vere, et genuina
pietatis, sanctitatisq; Studium urgent strenue,
in erroris, aut haeresos suspicionem adducant.

3.
tur. Sic cum primo loco dicitur: Pietistas Ma-
gistratus Sanctiones in rebus Ecclesiasticis re-
jicere; nominandi, vel designandi erant, qui nam
hoc facerent. Enimvero si Magistratus San-
ctiones in rebus ecclesiasticis nihil contineant,
quod verbo Divino repugnet, eas admittendas, ipsas
obediendum, nemo negaverit, nec quisquam eorum,
quibus perperam nomen Pietistarum tribuitur, hoc
abnuet. Idem censendum de secundo character.
Fuerunt quidem Viri pii, et docti, qui ministrorum
quorundam vitia, aut aperta flagitia, moresque no-
mini Christiano parum respondentes reprehende-
rent, idque rectissime, eos vero ideo ipsum ministe-
rium reprobasse, dici nequit. Eiusdem generis
tertius est character. Fuerunt namque, qui osten-
derent cultum externum parum prodesse, si quis
per veram poenitentiam vitam moresque non mutet,
sed in peccatis suis perseveret. Inde vero rur-
sus non sequitur, eos cultum externum cum inuti-
lem aut minus necessarium prorsus rejecisse.
Est magis autem necessarium est, ut homines im-
periti, de cultus externi usu, et abusu, recte in-
formantur, quod plures, pro dolor! hac in re tur-
piter decipiuntur, omnemque vim, et praxim Christia-
nae Religionis in solo cultu externo collocant, de
fide, ejusque fructibus, qui in tota vita se demon-
strare debebant parum solliciti. Eodem loco
habenda, quae quarto, quinto, et sexto de sacra
coena, Baptismo, et absolutione dicuntur. Per
meram scilicet fictionem talia tribuuntur ijs,
qui ab obsecratoribus quibusdam Pietistae vocan-
tur. Fieri rursus potuit, ut nonnulli abusus

quosdam, in his omnibus quotidie occurrentes, re-
prehenderent, fieri etiam potuit, ut quibusdam
in tentatione constitutis scrupuli quidam subori-
rentur de absolutione, itemque an recte una cum im-
pijs ad Sacram Eucharistiam accedere possent; hos sa-
men alij in rectam iterum revocare viam adnisi
sunt; in quos adeo characteres isti nulla ratione
quadrant. Quae de perfectione hominis Christia-
ni, Theologorum Hallensium sit sententia, ex scri-
ptis illorum, speciatim summe reverendi, ac venera-
bilis Abbatis Joachimi Justi Breithaupti dis-
sertatione de discrimine inter perfectionem gra-
duam, et perfectionem partium, satis constat,
simulque manifestum, eos, ceterosque, qui salvi Pie-
tista vocantur, nihil hac de re docere, quod non do-
ctrina in Ecclesia nostra recepta sit conveniens.
Et ab hisce quoque revelationes internas, seu immedia-
te à Deo profectas in rebus praesertim ad fidem,
et vitam spectantibus admitti probari nequit. Non
minus verò perperam dicitur, quod omnes, qui se illis
opponunt, pro irrogenitis habeant, qui nonus est
character. Quia enim pro irrogenitis habent, et non
habere nequeunt, qui vitam suam, moribusque, se à vita ista
spirituali, quae est Deo est, quam longissime abesse
testantur; quod cum haud raro illi faciant, qui
se doctrinae veritatis, quae est secundum pietatem
opponunt, hi quidem, ut ab illis pro irrogenitis ha-
beantur, necesse non est, cum re ipsa se tales esse
demonstrent. De conventiculis, de quibus deci-
mus Character loquitur, sciendum, si hoc nomine
intelligantur piorum hominum quorundam ad

5
Verbi Divini contemplationem, mutuamque edificatio-
nem, comparate congregationes, siquē in ijs cuncta
ἐν ὑπερώς καὶ κατὰ λαὸν γίαντ ea neutquam
damnari aut improbari posse. Perquam au-
tem maligne Seductio mulierularum cum ijs con-
jungitur, quippe à qua eos, qui ceteroquin con-
ventus ejusmodi caute, & sobrie institutos defen-
dunt, quam maxime abhorreere longe est notissi-
mum. Ad chiliasmum, quod attinet, qui
undecimus est character, beatum quidem Spene-
rum spem meliorum temporum adservisse con-
stat, quam si quis rejicere sententiam velit
sciendum, nunquam non in nostra Ecclesia castissi-
se Theologos orthodoxa laude florentes, qui
eandem foverunt, ac defenderunt. Unde ea
a recepta nostra Ecclesia doctrina minimè alie-
na censeri debet; licet Chiliasmum propriè
sic dictum plurimi rejecerint, et merito sane
clamnaverintque. Chorea, & Saltationes
cum circumstantijs, quae nunquam non cum
ijs conjunctae sunt, considerate, rectissime in-
ter peccata seu actiones pravas, quas veros
Christianos fugere debet, referuntur. Risus
autem, qui signum est laetitiae, sine ratione cum
saltatione conjungitur, cum is interdum vitij
expers esse queat, etsi plerumque in hominibus
improbis cum eo sit conjunctus; conf. Lohel II 2.
Falsissimum verò est, quod illi, qui perperam pietis-
mi accusantur, pro fide bona opera urgeant. Nullo
hòc testimonio, nullo idoneo comprobari potest do-
cumento. Quod verò docent, fidem, siquidem
vera, ac genuina sit, sine bonis operibus, vitæque
sanctae studio esse non posse, in eo praecuntem

habent ipsum Paulum, quo nemo magis fidei præstan-
tiam extulit Gal. V. 6. ino præcuntes habent, quot
quot unquam exstiterunt, ecclesie evangelico Lu-
therano Doctores orthodoxi. Falsissimum
porro est, quod efficaciam verbi, et Sacramento-
rum à Sanctitate, et dignitate ministrorum de-
rivent. Licet enim doceant, hominem impium
et irrogenitum veri Theologi tueri nomen non posse
inde minimè sequitur vim et efficaciam verbi Divi-
ni, et Sacramentorum à dignitate aut sanctita-
te ministrorum pendere. Concedunt enim, fieri
posse, ut irrogenitus Minister verbum divinum
recte adnuntiet, et Sacramenta rectè adminis-
tret, quibus adeo tum sua vis, suæque constat effica-
cia. Laborem, quo acquirantur quæ ad vitam
honestè sustentandam sunt necessaria, regeni-
tis non decere, Sichtlich quidem dissipuli, ac-
Sectatores docent: qui tamen alijs neutiquam im-
putandus est error. Sic et Peterrenius, et
nonnulli, qui cum eo faciunt exortationem gran-
dam universalem Statuunt; quæ alijs rursus
perperam tribuitur Sententia. Atque hinc
patet, quod senon à me dictum sit, in hocce sacri
tribunalis Hanoverani edicto characteres pietatis
sacrum contineri. Cams tum meam Senten-
tiam fuisse, vel inde liquet, quod ipsimet testes
fateantur me monuisse in applicatione istorum
Characterum cautè admodum versandum esse.
Id namque de ijs Characteribus intelligendum est,
qui dogmata erronea continent, quæ falsò viris
innocentibus tribuuntur. Hoc ipso verò non ne-

agatur, dogmata quaedam, quae in se spectata vera
 sunt perperam inter characteres Pietistarum
 referri. De vocibus Pietista, et pietismus ad,
 huc observandum eas non tantum, quod aliquo,
 ties jam monuimus, per summam injuriam vi-
 ris innocentissimis tribui, ita quidem, ut quam
 primum quis id agit, ut vitae sanctitati, veritati
 et genuinae pietati serio studeat, vitia contra
 gravia, et peccata, quae cum fide in Christum
 consistere nequeunt, fugiat ipse, et alios fugere
 doceat, seque adeo veri Christiani nomine non
 indignum demonstrat, quantumvis in ijs, quae
 ad credenda spectant, ab Ecclesia nostra doctri-
 na ne latum quidem unguem discedat, statim
 Pietista audiat. sed simul iisdem innui, ac ri-
 necio, quae Secta pietistica in ecclesia nostra
 existat, quae tamen revera nullibi, quam in cer-
 bro quorundam haereticos, ac fanaticos pro-
 libitu fingentium reperitur, quod ab alijs evi-
 dentissimè est demonstratum. Non abnuo
 existitisse quosdam, qui quaedam ex dogmatibus
 falsis antea commemoratis professi sunt, aut
 calculo suo comprobaverunt; qui, quo jure Pie-
 tista vocentur, necio; Si quis tamen eos ita
 vocare velit, caveat sibi, ne alijs, quibus cum
 ejusmodi hominibus nihil commune est, idem
 nomen, eodemque statim tribuat sensu. Inquiren-
 dum potius semper accuratè, an jure quis ejus-
 modi errorum postuletur, cum hostie pro do-
 lor nihil sit frequentius, quam ut magna spe-
 cie alia alijs imputentur, quae nunquam illis

in mentem venerunt. Nec sufficit profecto,
 voces quoddam, formulasque loquendi hinc inde
 excerptas corradere; cum ipsa naturalis aequi-
 tas postulet, ut quo fine, quo sensu quivis dic-
 tum sit, examinetur, et si aliunde de orthodo-
 xia auctoris nobis satis constet in mitiorem
 accipiantur partem. Quæ cum ita sint, vide-
 bimus facile, quid nobis agendum sit, cum aliquis
 pictismi accusatur, aut cum Pictiota traducitur.
 Si nihil aliud agat, quam ut diligenter verbum divinum
 tractet, aliosque idem ut fariant, admoncat, aut ad acce-
 rationem ejus cognitionem illos adducere adlaboret, aut
 precos cum alijs ad DEUM fundat, vite porro sanctitati
 puritatiq[ue] studeat, idemque illos, qui salutis æternæ
 cupidi sunt, facere velit, ut hac ratione fidem suam
 demonstrent, et virtutem ejus adnuntient, qui eos vo-
 cavit à tenebris ad mirabilem suam lucem 1. Petr. II. 9.
 Si inquam nihil aliud agat, et nihilo secius, ut fieri
 solet, ab alijs Pictiota vocetur, summam tamen ejus fieri
 injuriam, res ipsa clamat. Cumque repetitiones
 scripture Sacre privatim institutæ, catechisatio-
 nes, aliæque exercitationes, quibus excitetur, alatur
 foveturque pictus eo univ[er]se comparate sint, si cate-
 ra recte se habeant, reprehendi profecto, ac vitape-
 rari, citra manifestam injuriam, nequeunt, qui talia
 suscipiunt. Multo major autem, et atrocior hac
 est injuria, si tum porro characteres, quibus homi-
 nes fanatici, et perversa dogmata spargentes, desig-
 nantur, statim quoque in illum quadrare judicentur.
 Nec verò alium ut puto, in finem de notis, seu cha-
 racteribus pictismi quæsitum, aut illi etiam adla-
 ti sunt, quam ut inde concluderetur: quoniam isti
 ab adversarijs suis seu malevolis pictiota vocantur,

ideo ea omnia docere, aut adprobare presumuntur, quae per hosce characteres pictistis tribuuntur. Quod quàm frivolum, quàmque ab omni equitate, et iustitia alienum sit, nisi prius certo constiterit eos, qui pictismi accusantur, revera haec omnia credere, et adprobare nemo non, nisi cretus prorsus fuerit, et omni ratione destitutus per spiritum. Dum verò inquirendum diximus an quis revera ea doceat, aut calculo suo adprobet quae ei tribuuntur, sinceri, et sine omni verborum detorsione, aut sinistra, ac prava interpretatione hoc faciendum esse, res ipsa poscitur. Exempli loco esse potest, quod cuidam ex viris antea laudatis de formula: Christus in nobis, objectum fuit. Et ipsa enim quaestio ne patet, objectum fuisse ei, quod docuerit. nisi Christum habeamus in nobis cum non habebimus pro nobis; ac deinceps in responsione Testium formula haec ita adducitur: nisi Christum non prius habemus in nobis, cum non habemus pro nobis. At ingens inter utramque formulam, loquendi rationem intercedere discrimen manifestum est. Prior enim: Nisi Christum habemus in nobis, cum non habemus pro nobis, vitio caret, cum sensus sit: Christum pro nobis, hoc est meritum, et satisfactionem ipsi non prodesse, qui vera fide praediti non sunt, si tales esse per Christum in nobis, hoc est sanctitatis, et pietatis studium non demonstrant. Formula enim haec: Christus in nobis recte explicata, et sano sensu intellecta

10
rejici nequit, nisi simul scripturam sacram ipsam
rejicere velimus, quæ disertissimè eam adprobat
Joan. XVII 23. Gal. II. 20. Eph. III 22. At posterius
si modo si formula hæc efferatur: nisi Christum
prius habeamus in nobis, cum non habebimus pro
nobis, omnino rejicienda est, cum sensus sit, vel
quæat, Christum in nobis esse debere, hoc est justos,
sanctosque nos esse debere, priusquam Christus pro
nobis, nobis prosit, hoc est priusquam per eum
justificemur. Hæc ipso enim ordo salutis pla-
nè evertitur, dum Sanctificatio ante justificatio-
nem ponitur, imò justificatio per solam fidem, ca-
put et centrum veritatis evangelicæ, destruitur.
Hæc paucis monere volui, ut quilibet eo rectius
verà à falsis discernere possit, nec pro luce tenebras
amplectatur. Quod superest, Deum supplex
veneror, ut ipse omnium illorum, qui pro veritate
dura prævis, et aspera patiuntur, causam agat,
omnesque, qui in errore versantur in rectum reducat
tramitem est. Fona die 12. Septembris a^o
1723-1.

Joan. Franciscus Buddens



ksiaznica@kc-cieszyn.pl